

Venetorum animi, pacem cum Carrario Principe Alberti
Æstenis arbitrio tentarunt, missique ad hoc Fœdericus
Cornarius & Pyrrinus Rota, hic illius procurator, Vene-
tus vero compater, veterique familiaritate conjunctus: sed
ab eo ut causam susciperet, nullo modo impetrari potuit:
usque adeo tunc omnium vicinorum animi odio in Vene-
tos flagrabant. Et quia fama erat, ingentem vim bellico-
rum operum Paduæ per eos dies comparatam, atque cur-
ribus impositam, confessim Venetus circa Musionis ripas,
per quem Mestræ navigatur, aliquot munitiones statuit,
ratus omnes hostium conatus ad id unum spectare, ut
Mestræ subita aliqua vi opprimerent. Sed illorum con-
silia diversa: siquidem Carrarius Novale adortus, summa
ope locum oppugnare cœpit: rescissisque circa Mogianum
aggeribus, qua patebat Taurisium iter, validoque præsi-
dio ad rupturam imposito, omnem Veneti auxilii spem
Taurisini ademit. Qui in urbe erant, audita ad Liopol-
dum Ducem legatione (constans enim fama erat, ad id
Pantaleonem Barbum missum, ut Taurisium cum suis fi-
nibus barbaro traderet) quia & ipsi plures menses nullum
acceperant stipendium, veriti ne ipsa rerum mutatione,
sua mercede fraudarentur, omnium militum causam Bo-
ratio Malaspina, viro impigro, tuendam demandant. In
ejus verba jurant omnes, rata se habituros fœdera, indu-
cias, bellum, pacem, ac denique omnia, quæ vir ille
pepigisset: sumpturos se arma illius jussu, ejusdem jussu
deposituros: pergeret modo susceptam causam tueri, at-
que ita efficere, ne frustra tot pericula & labores perpepsi-
viderentur. Ille vero, ut prudenti erat ingenio, cum
omnibus fere, qui ordinem ducebant, ad Venetos magi-
stratus venit. Erat Leonardus Dandulus urbis Præfectus,
Marcus Zenus Prætor, Legatus Andreas Venerius: quos
ille ita coram allocutus dicitur: *Constans fama est, viri
Veneti, Principem & Patres ad Liopoldum Austriæ Du-
cem misisse, qui ei Taurisium cum suis finibus publico no-
mine traderet: quod munus, nisi ille stultus est, haud qui-
dem aspernabitur. Amplectetur, quis nescit? vestram mu-*
nifi-

Taurisni
præfiliij se-
ditio.